


R. 3. may 44.



30<sup>a</sup>

Nobilissime, Amplissime, et Summe VIR,  
Tam me confiteor, et solennibus quidem verbis, imparem plane  
incredibili benevolentiae tuae esse, quam geminis gemmeisque  
ad me, filiumque meum MAXIMILIANVM litteris, et luculento  
rursus beneficio depromisti. Et tamen in manu erat cala-  
mus, ut scriberem, totus aestuans, et amore tui ardens,  
cum Meckliniam subito, et à Magno Amico meo CANTELMO,  
pleno virtutibus ac Sapientiâ Viro, evocatus sum. Tam sua-  
vis haec consuetudo fuit, ut avelli non potnerim, illo interim  
ad iter Hispanicum se parante. Ut munus aliquod abeunti  
offerrem, Stemma eius hoc tempore tentavi: quod nec in-  
feliciter successit, nisi egomet mihi blandior. Libens igitur  
à tuo iudicio pendebo. Ut secundis curis locus sit, pauca  
exemplaria facta sunt, sic etiam satis rudia: sed qualia-  
cumque, unum elegantissimis tuis obtrudere oculis ausus  
sum, et haec etiam familiaritate cultum meum aperire. Vide-  
bis CANTELMOS; videbis et STVARTOS, eadem origine; videbis  
ad gloriam quoque Principis tui, suâ stirpe incliti, et CANTEL-  
MOS et STVARTOS pertinere. Tot Heroes breviter sic quidem  
enumerati sunt, suis magis nominibus, quam elogis; cum  
lucis sic satis esset, tenebras tot saeculorum repulisse. Tu  
quaeso à tuo ingenio, eruditione, scientiâ aliquos etiam radios  
immitte. Siquid monueris, ad pleniorum diem faciet. Huc  
redeo, et confiteor, me filiumque meum obstrictissimos Sum-  
mitati tuae esse, ac fore semper. Quid de beneficiis dicam  
ipsae Litterae tuae Beneficia sunt. Vale Vir Summe, et sic sta-  
tue, neminem esse, cui in te amando et colendo cedam. Lovani-  
in Arce, Nonis Aprilis, co. DC. XLIV. Ut rursus scribam, novum  
ingenii mureusculum paro.

Totâ mente, toto animo TVVS  
Eupantus.

Hug. 37.

*[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.]*





Nobilissimo Amplissimoque VIRO  
AD. CONSTANTINO HUYGENS,  
Equiti,  
Domino de Zuylichem,  
Principi à Consiliis et Secretis.

Hagae.



